AD QVODLIBETARIAM.

QVÆSTIO MEDICA

MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XVIII. NOVEMBRIS M. HENRICO BLACVOD MED. REG. MODERATORE.

An vt speciei, sic indiuiduo suæ partes?



X semine à toto corpore deciduo, nostri ortus caussa efficiente, natura corporis partes pro functionum & facultatum varia conditione inter se dissimiles, primum conformauit. Partium autem alię sunt principes (quarum vnaquæque etsi gubernantis alicuius facultatis sedes propria, in vnaquaque tamen omnes simul confunduntur) aliæ ipsis famulantur: illæ tamen sine his, neque hæ sine illis probè se habere possunt. Cæteræ aut vsus, aut actionis alicuius gratia conditæ sunt.



EREBRVM, hepar, & cor, indiuiduo cōseruando subseruiunt. Cerebrum motus, & vitæ particeps: non sensus, solum tamē sensum & motum partibus distribuit. Hepar sentiens, motus tamen expers natura constituit. Huic soli sanguinis generatio demandata, & ab hoc nutritionis materia omnibus partibus suggeritur. Cor motus expers, motu tamen perpetuo agitatur. Hoc caloris fons, qui tandem animali interitum adfert.



ATVRA sagax & prouida suum opificium singulari substantia seruare non potens, effecit vt immutabili æternitate viuentium ortus generatione perpetuentur. Quamobrem animalibus vis quædam φυσικὴ tributa est. Quæ in marem & fœminam distributa, vtrumque ad prolis propagationem inuitat. Cui negotio instrumenta idonea destinata sunt. Quorum alia materiam generationi conuenientem præparant, alia conficiunt, alia emittunt, alia denique excipiunt ac retinent.



ESTES corde præstantiores, maiores in maribus quàm in fœminis, ex sanguine à vena caua profecto, semen gignunt. Cuius substantia spiritu vitali plena, dum copiosa est ac turgescit, dumque spiritu incalescit, impetu ardoréque corpus turbat ac titillat. Vnde Veneris (quæ viris quàm mulieribus iucundior, sobriis quàm ebriosis vtilior, ieiunis quàm plenis celerior) ingens facta delectatio (quæ etiam spadones in ipso congressu vehementer inuadit) seminis vasa ac testes irritat.



OEMINA, vterum excipiendo semini instrumentum proprium & testes intus reconditos habet. Hæc auidè semen amplectitur ac retinet. Vnde vtriusque semina locum idoneum nacta, alioqui per se inutilia, inuicem commiscentur. Conniuente vtero virtute caloris, & spiritus qui est in semine, adiuuante etiam vteri calore, tandem generatur & exsurgit nouum animal.

Ergo vt speciei, sic indiuiduo suæ partes.

Asserebat Lutetiæ GEORGIVS CORNVTI Parisinus. Anno salutis 1610.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Symphorianus Haultin.
M. Henricus Blacuod. M. Reg.
M. Gabriel Biart.
M. Ioannes de Gorris,
M. Renatus Chartier M. Regius.
M. Franciscus Placet.
M. Nicolaus Pietre.
M. Petrus Seguin M. & Prof. Reg.
M. Iacobus Cousinot.